

**Animus gemebundus in  
discessum è vivis,  
insperatum qvamvis & seriò  
dolendum...**

Brenner, Sveno Martini,

*82 Aa 13/2 Tunander*



National Library  
of Sweden



## ANIMUS GEMEBUNDUS

In

Discessum è vivis, in speratum quamvis & serio dolendum, placidum tamen & pium.

*Viris de Musis & Sacris optime meriti, Præcellentis & maxime Reverendi*

# DN. NICOLAI J. TUNANDRI

IN ACADEMIA ABOENSI FACULTATIS THEOLOGICÆ QUONDAM PROFESSORIS INDEFESSI ET PERCELEBRIS:  
NEC NON PASTORIS ECCLESIAE DEI QUÆ IN UNDO COLLIGITUR VIGILANTISSIMI

*Qui Anno 1679, die 24. Februarij hora à meridie dimidiatâ Sextâ Aboe invitis bonis omnibus diem extremum obiit,  
dum exuvia ejus Anni dicti 16. Martij Solemni pompâ sepulchro  
suo demandarentur à*

*Discipulis beneficiorum multitudine mastris, in gratissimi animi signum, divulgatus.*

**O**rtunam novercam, fata immitia, mortem atrocem, injustam, prematuram clamitantes risum sapienti movere prius duxi; jam autem alia mens, alia ratio est, jam labascit animus; usq; vis & violentia & pro ratione voluntas invaluisse jam visa est, ut nolens volens idem contendere, conqueri & collacrymari necessum habeam. Multos iniquos, contorsos & quos electos improbos, ever sos bonos cerno. Indignum facinus! Ni vanus ni insanus habear, molestum me Auctor sentiet. Tu sava, tu furibunda mors, culpa tuâ, merito tuo exlex audis. Itane verecundiam exulare facis & pudorem omnem? nullam æquitatem sapis, iniqua omnia. Quid fecit? quid commeruit hoc lumen & sidus patrie nostræ, ut tantopere, ut præ ceteris in eum, se vivere non verearis, qui præ ceteris Deum vereri & conscientiam illibatam servare nullam unquam intermisit curam. Tu gelida, tu somnolenta mors, quidni te absteruit pietas in Deum, probitas in proximum vulgarem longè excedens? Hoc æquitas jam est, bonos pœnâ afficere. Tu meritò sompnus venis; annon animadvertisti, hunc nostrum cordatum Parentem ipsâ vitâ nobis chariorem, toto animo, omnibus nervis, manibus pedibusq; nocte dieque in id unice incubuisse, ut divini nominis gloriam, & hominum salutem promoveret, ut Christum sibi caterisq; omnibus lucrifaceret, ut mundum stocci, nauci, nihili penderet, & pendere doceret alios. Alto & perpetuo oppressum te oportet somno; si namq; vel ad momentum evigilaveris, illico utiq; splendor virtutum multus, animum tibi percussisset, ut manus violentas inferre tantæ bonitatis domicilio nunquam sustinisses: tota namq; vita illius, nil nisi continuum virtutis exercitium fuit: ἐὼς βέβαιον περὶ ἀνὰ γένους μετ' οὐδὲν πέρας annon continuè habuit & habere sedulo admonuit. Qua itaq; te à mors, dementia cepit? Da mihi quæso ex tuis amicis, quibus tantopere faves, quos amas & mulces quemquam, qui ita piam in Deum, justam in proximum & honestam in se ipsum totam transigit vitam: quid? da, qui vel diem ex illius vestigiis unum serio presserit; taces, retices, & bene facis; præstat tacere quam male loqui: quidni itaq; Nostrum tam malè muldare verita es? forsan errare me toto celo clamitas, & illum premis, nos pœnis affectos contendis: non de nihilo est, fateor, aliquid dicis. At summum jus, summam injuriam scisse te oportuit, ignovisse nobis debebas. Homines hominum causâ natos scis, ast qui & voluit & potuit cuiq; prodesse valde, illum eripuisse nobis; inutilia terra pondera intacta reliquisti; nimius te invasit livor, cum tantam, tamq; multiplicem nobis invideres felicitatem: Is enim suam salutem neglexit, nihili fecit, dum promoveret publicam. Tibi pœnas dare graves tenetur is, quem, pœnis innocuos ut redderet cunctos omnem omnino lapidem movisse hisce meis oculis vidi. Ast scio, de more tuo insulsa, insana omnia hæc, exclamas: ut res expostulat esto: ita factum oportuit; ut quisq; condignam reporter mercedem: meruit id virtus ejus, meruit nostra malitia: culpa nostrâ nos in lacrymis, in sordibus versamus; is autem merito suo quamvis gratiose planè, in portu navigat, fortuna telis ignitis eo majori stomacho jam illudit, quo majus ipsi hic facebant negotium: jam ipsi Deo proximus habitat: jam consuetudinem cum angelis bonis & cunctis cœlitibus conjunctissimam habet: Verbo dicam; tanta est illius gloria tanta voluptas, ut nec oculus tuus nunquam similem vidit, nec auris audivit, imò nec in cor tuum ascendit: Ego visa & audita narro. Hæc onatio, sapienter sermonè instituit: itaq; acquiesco & plaudo. In obitum Præceptoris & Nutritii sui desideratiff. ingemuit SIMON PAULINUS.

**C**ommunem Regni & præsentem Patriæ nostræ statum, innumeris undique septum periculis, gravissimis oppressum oneribus, & insperatis hinc inde gementium suspiriis impletum, quilibet pius & cordatus magnâ animi perturbatione & uberrimis intuetur & deplorat lacrymis. Quot heroes illustres, quot fortes belli athletas, quot Ecclesiæ militantis sublima capita Regniq; vacillantia valida fulcra furiosus Mars & rabiosa mors è medio & custodia nostri sustulerit. Quâ de causâ in dolore, in lacrymis jacet Finnonia tota, inque ea inprimis ampla hæc Musarum sedes ad Auram, quæ vix satis dolendam passa jacturam, detrimentum & damnum, imis gemitibus, fletu intenso, non præter rem & rationem undique personat. Incedunt mœstæ Musæ, prudentem, assiduum & indefessum cultorem amissum dolent; tristis heu! incedit senatus, tristis populus totus, Collegam pergratum, sincerum & probum; Præceptorem & Patrem suavissimum; apertum, optimum & omnibus modis fidum, iniquâ & præmaturâ morte sibi ereptum moeret, ingemescit, & intensâ voce conqueritur. Jure lamentatur Ecclesiæ nostræ, tantum tamque lucidum sibi ademptum sidus, tam laborioso, tam vigili, tam perspicaci & provido se defraudatum Pastore, adeò pertimescens ne hujus unius causâ multum contrahant detrimenti Musæ, plus Ecclesiæ. Quod nam autem tanti mali author & caput existerit, si est quisquam qui ignorat, resciscat oportet, implacabilem savitiam, furores iniquos, injustos, furibundi mortis esse in culpa, esse in causa, quæ sese votis nostris & precibus ut ut ardentissimis, assiduis & devotissimis placari & reconciliari non permisit; quominus insperato & invitis bonis omnibus, strenuè que repugnantibus Musis, ex sinu & amplexu nostro sustulerit, Virum de Republicâ literariâ & Ecclesiâ Dei optime meritum, eruditi orbis facile principem & exemplar virtutum amplum & indubitatum; Pietatis, probitatis, humanitatis, imò omnis boni quod virum bonum & Θεῶν ἀγαθὸν decet domicilium; Admodum Reverendum atq; Excellentissimum Dominum NICOLAUM TUNANDRUM, Athenæi nostri in facultate Theologicâ PROFESSOREM publicum & Ordinarium, nunquam satis laudandum, qui paucis abhinc diebus desiderium & expectationem sui multorum in cordibus & animis procul dubio, obitu suo inopinato, excitavit. Ita namque cum humanis ingeniis comparatum esse multis documentis liquet, ut tum demum sua intelligant bona cum quæ in otestate habuerint, amiserint. O nos miseros, ô ter quaterque infelices! qui tantâ, proh dolor! spe frustrati, tot votis decepti, tot suspiriis elusi; non affinem, non consanguineum, non familiarem; sed Parentem, Patrem & Præceptorem, consilio, fide, erudiendi prudentiâ & promptitudine, vix satis collaudandum, amissimus. Undè mortem ejus meritò ferimus gravius omnes, cum omnes nullâ habitâ ratione personarum, egenos non minus ac opulentos, magnâ animi pietate, singulari humanitate & candore prosecutus est; consiliis sanis & eruditis colloquiis, quemque se convenientem, etiam abjectissimum & incognitum erudire nunquam est didignatus. O invidiam fati implacabilem! ô triste planè acerbumque funus, ô morte ipsâ mortis tempus indignius! Ne autem quis opinetur suo malo quod in se transtulit Christus, sed indicibili bono, hunc re & nomine magnum Theologum verumque Theophilum, duram hanc militiam militasse. Est enim immensâ bonitatis Deus noster, qui servum fidelem inperferutabili remunerat mercede; quod huic Nostrò beato Præceptoris metâ concussa & superflua contigisse, nemo sanus dubitat. Post varios itaque in hisce terris exantlatos labores, post amplas & periculosas peregrinationes, vitamque numerosis ærumnis, divinis tamen suspiriis & continuis precibus peractam, animam suo Redemptori piam consecravit; sicque ex mortali hoc corporis ergastulo liberatus, cum omnibus Sanctis in Cœlo, æternis & nunquam interrumpendis nunc fruatur gaudiis!

*In debitum officium & grati animi Τεχνηέρον  
animo ut ut turbato, benevolo tamen  
& prompto subito conscripsit*

SVENO BRENNERUS.

